

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Deliciae
cum fonte primo

Innatum est ab illo mundi conditore qui nobis uiuendi iura descripsit
ut salui essemus, non ut delicati;

deliciis misere ac sollicite omnia comparantur.

Vtatur ergo hoc nature beneficio inter magna numerando
et cogitemus nullo nomine illam melius meruisse de nobis
quam quia quicquid ex necessitate desideratur sine fastidio sumitur.

Seneca in quadam epistola.

Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi iura descripsit,
ut salvi essemus, non ut delicati:

ad salutem omnia parata sunt et in promptu,

deliciis omnia misere ac sollicite comparantur.

Utatur ergo hoc naturae beneficio inter magna numerando

et cogitemus nullo nomine melius illam meruisse de nobis

quam quia quicquid ex necessitate desideratur sine fastidio sumitur.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 119.15-16
(L. Reynolds ed., vol.2, p.510, ll.12-18).